



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt L. S. Amati Collegivm Dvacense, in dioecesi Atrebatensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

## CAPVT L.

S. AMATI COLLEGIVM DVX-  
cense, in diœcesi Atrebatenſi.

**S**Amatus fuit Episcopus Senouensis in Gallia, sed apud Theodericum Gallicæ Regem accusatus, in exilium est ablegatus, causa non discussa. Quamobrem Peronæ exulauit vsque ad mortem Vltani Abbatis: deinde B. Mauronto commendatus, primùm Hamatici vixit, ubi sepeliuit sanctas Abbatissas Gertrudem & Eusebiam: Postmodum requisitus à Rictrude, & filio eius iam dicto Mauronto, suscepit regimen monasterij sancti Petri, quod Broyli in fundo suo apud Menapenses construxerant. Quo in loco monasticam congregationem gubernauit, & populo alimenta cælestis prædicatio-  
nis ministravit, vsque ad annum 690. quo sanctissimam vitam finiuit. Eius corpus, sed & ferri pondus, quod ad collum gestauerat, multis miraculis claruerunt. Quibus auditis Theodericus Rex ad sepulcrum veniam perpetrati in eum facinoris flagitauit; & multas possessiones ad alimoniam seruorum Dei contulit. Maurontus verò ad honorem eiusdem Præfulis, sui etiam patrimonij multa prædia per chartarum instrumenta as- signauit. Præterea haud longè à Beati Pe- tri Ec-

690.

tri Ecclesia, aliam Deiparæ construxit basilicam. Ad quam diuinitus monitus cum *sанctо Baino* Norinorum Episcopo, Beati Amati reliquias transtulit. Postea à clero Meruillano, propter Normannorum incursiones, Duacum est translatus, in sui iuris Ecclesiam. Anno denique 874. obtinuerunt fratres Meruillani siue Broilenses à Ioanne Episcopo Cameracensi, Carolo Rege, & Arnulpho Flandriæ Comite, ut cum omnibus privilegijs & possessionibus Duaci possent remanere.

874.

Fuit itaque S. Amati Collegium olim Benedictinorum monasterium.

Ceterum Broilus seu Broilum est hodie Flandriæ occiduæ opidum, quod Flandri *Mergenum*, Galli *Meruillam*, quasi *Mauronti villam* nuncupant. Spectat autem hodieque Meruillæ dominium, ad Amatense Canonicorum collegium.

In opido Duacensi insignis est Academia à Philippo Secundo Rege Catholicò Belgarumque Principe excitata: cuius Cancellarius perpetuus est Præpositus sancti Amati.

In eodem opido Duacensi est & alterum Canonicorum collegium

D. Petro Apostolo  
sacrum: